FRID. CHRIST. THEOPH.
WEBER,
MED. DOCT.
ATQVE REIPVBLICAE HEILBRONNENSIVM PHYSICI
OLIM CELEBERR. POLIATRI CLARISS.

OBSERVATIONES MEDICAE SELECTAE.

EDIDIT
ET APPENDICEM OBSERVATIONVM
ANATOMICARVM RARIORVM
ADIECIT
FRID. AVGVST. WEBER,
FILIVS. M. D. HEILBRONNENS.

VRATISLAVIAE,
IMPENSIS GVTSCHII.
MDCCLXXVI.



IOANNI FRIDERICO
ELVERT,

MEDICIN. DOCT.

SERENISS. DVCIS WVRTEMBERGICI CONSILIARIO,

MEDICO AVLICO ATQVE PRAESIDIARIO,

DOCTRINA MERITISQVE

CONSPICVO,

AVVNCVLO SVO AD CINERES
VSQVE PIE COLENDO

FRIDERICO GVILIELMO GÜNTHER,

MEDICIN. DOCTORI

ATQVE REIPVBL. ESSLINGENSIVM INCLYTAE

PHYSICO SPECTATISSIMO,

FAVTORI SVO SVMME

DEVENERANDO

CHRISTOPH. DAVIDI
MANN,

PHILOSOPH. AC MEDICIN. DOCTORI
REIPVBLICAE, QVAE BIBRACI FLORET,
PHYSICO, AVGVSTANAE CONFESSIONI
ADDICTO, MERITISSIMO,
ACADEMIAE CAESAR. NATVR. CVRIOSORVM
ET MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTILIVM
SODALI,

COGNATO SVO DILECTISSIMO
ET AESTVMATISSIMO

IOANNI HENRICO
SEYLER,

MEDICINAE DOCTORI CLARISSIMO,

REIPVBLICAE HEILBRONNENSIVM PHYSICO

TERTIO DIGNISSIMO,

COLLEGAE, PATRIA, STVDIIS, ARTIS

MVSICAE AMORE,

CONIVNCTISSIMO,

AMICO CARISSIMO
ATQVE SVAVISSIMO

HASCE PAGELLAS,

QVAE, PATRIS PIE DEFVNCTI MANV EXARATAE, A FILIO PIETATIS ERGO COLLECTAE AC IN ORDINEM DIGESTAE, NVNC INSTAR OPERIS POSTHVMI PRODEVNT, OB AMICITIAM CVM AVCTORE SINCERRIME VSQVE AD MORTEM EIVS CVLTAM, ET OB MAGNA IN FILIVM COLLATA BENEVOLENTIAE, AMORIS, AMICITIAE ATQVE PATROCINII DOCVMENTA

L. L. M.

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS.

EDITOR.

PROOE-

PROOEMIVM EDITORIS.

Loco praefationis, vt auctorum mos eſt, ſiſto Tibi, L. B., breuem ad ſinceram vitae patris optimi narrationem, vt eo melius Tibi harum, numero quidem paucarum, re vero ſumme praeſtantium obſeruationum ſcriptor innoteſcat.

Natus fuit in villa *Kleinbottwar*, iurisdictioni equitum S. R. I. *a Geiſsberg* ſubiecta, idibus Iulii poſt ſalutem mundi regeneratam anno MDCCXXVII. Patre gaudebat *Georgio Chriſtophoro Weber*, philoſophiae Doctore artiumque liberalium magiſtro, tunc temporis in villa modo dicta ſacrorum antiſtite vigilantiſſimo; matre vero *Catharina Eliſabetha*, ex nobili ſtirpe *a Krukenberg*, gentis Saxonicae, quorum aliqui, nec non pater eius, cum ſumma laude praefecti quondam fuere in aurifodinis Clausthalienſibus. Quibus praemiſſis, dictu vix opus erit, vtrumque horum parentum omnem, quoad eius fieri potuit, arripuiſſe occaſionem formandi animi atque intellectus filii dilecti, qui, praeter fratrem mercatorem Bernae Heluetorum adhuc ſuperſtitem, atque ſororem Bibracenſium antiſtiti ſacrorum digniſſimo, M. C. H. *Hanff*, iam pridem nuptam,

nuptam, eamque adhuc viuam et ſanam, vnica ex matrimonio proles erat ſuſcepta. In villa *Kleinbottwar*, et poſtea quoque in villa *Eberſtatt*, ditionis Würtembergicae, in qua ſacrorum cura patri eius fuerat demandata, pater ipſe illi ab ineunte aetate linguarum atque literarum, quae ab humanitate nomen accepere, initia tradidit, adiungendo religionis noſtrae ſanctiſſimae doctrinam, quo in negotio coniugem ſuam, matronam vere piam optimam, habuit adiutricem.

Puellum aetate profectiorem praeceptoribus Gymnaſii Heilbronnenſis tradidere parentes optimi, quippe villa Eberſtadienſi, prope Heilbronnam ſita, maximam dante opportunitatem. Academiae tandem idoneus, artis medicae ſtudium amplexurus, Tubingam acceſſit. Quae quidem Muſarum ſedes vetuſtiſſima et clariſſima illo tempore, *Mauchartí*, nec non *Gmelini* ſenioris, atque *Hoffmanni* nominibus, ſolertia meritisque, medicinae atque phyſices cultoribus fuit acceptiſſima. Imprimis autem Ill. *Mauchartus*, affinitatis vinculo ſtirpi Weberianae quodammodo iunctus, inſtar filii ſui eius gerebat curam; adeo, vt non ſolum in illo praeceptorem optimum, ſed et patrem, patris germani vices vere ſuſtinentem, in tanto viro ſimul potuerit venerari.

Quare et diligentiſſime audiit illum, ſermonesque de rebus doctis doctiſſimos chartae mandauit,

dauit, in re anatomica, ſemiotica, nec non in pathologia, chirurgia et therapeutice ſpeciali eum ſecutus. Porro illuſtri hoc viro, illique amiciſſimo, haud renitente, ſuppellectili eius libraria, tanquam ſua, dum Tubingae moraretur, vſus eſt.

Gmelino inſtitutionem in arte botanica, chymica, nec non ſic dicta materia medica debuit.

Hoffmannum in pathologicis, doctrina de formulis conſcribendis, atque medicina forenſi fideliſſimum habuit praeceptorem.

Audiit quoque *Kraſtium, Bacmeiſterum*, atque *Duvernay*; illum aſſidue in phyſicis atque matheſi, hos in variis rebus ad rem medicam pertinentibus.

Artis obſtetriciae addiſcendae cauſſa deinde Argentoratum conceſſit, *Friedium* ſeniorem, *Eiſenmannum, le Riche* atque *Buſchium* praeceptores nactus. Quorum prior in arte obſtetricia, adhuc dum per ſe ipſum, nec non per doctiſſimum filium adhuc viuentem, ſumme clarus, illi audienti non ſolum artis huius placita ſedulo propoſuit et explanauit, ſed etiam in noſocomio artem ipſam tentandi optimam ſuppeditauit occaſionem. Alter autem optime illum in theatro et artem anatomicam docuit, et corporis humani rite, nitide atque modo durabiliori diſſecandi, diſſectasque partes in muſeis aſſeruandi, regulas et encheireſes amiciſſime cum illo communicauit. Quantum etiam ex illius inſtitutione profecerit, vel ex eo capite cognoſci poteſt, quod

poſtea



postea illum, Tubingam ad priuilegia doctoralia rite capessenda reducem, Cl. *Mauchartus* in re anatomica praetulerit aliis medicinae candidatis, adeo, vt illum prosectoris anatomici munia vicario modo explere, donec Tubingam relinqueret, iteratis vicibus sit exhortatus. Qua quidem prouincia sibi mandata, ita munere suo functus est, vt omnium tum docentium, tum discentium applausum ea de re, tanquam iustissimum laboris sui praemium, secum asportaret.

Le Riche denique cum *Buschio* chirurgicae artis penetralia illi bona mente aperiendo, manumque eius; primo in cadaueribus, deinde in viuis corporibus ad operationes chirurgicas ducendo, in nosocomiis, quae Argentorati visuntur, gallico aeque atque germanico, patrem artis chirurgicae reddidere peritissimum,

Qua via, tantisque magistris vsus, totius artis medicae curriculum praeclare emensus et Tubingam reuersus, anno MDCCL. dissertationem pro licentia summos in medicina honores rite capessendi scriptam, Praeside *Maucharto*, defendit. Inscribitur illa: *Palpebrarum tumores cystici, casusque specialis magni tumoris steatomatico scirrhosi e palpebra superiore et orbita feliciter nuperrime extirpati*, plagulisque quatuor, charta quadruplicata, impressa est.

Genuinum huius scriptionis auctorem patrem esse hic loci publice profiteri liceat, *Maucharto* nempe, praeter casum illum specialem in scri-

pti

pti fronte memoratum, leuiaque additamenta et castigationes, amica manu adiectas, ne verbulum quidem sibi vindicante. *Praesidis* nomen multos viros eruditos in errorem induxit, quo *Mauchartum* auctorem libelli nominando, respondentem, genuinum dissertationis auctorem merito laudis praemio defraudarent. Id quod contigit etiam clarissimo et alias accuratissimo *Weiz* *), et ipsi Ill. *Hallero*, qui scriptum integrum thesauro suo dissertationum chirurgicarum notissimo, tanquam classicum, inserere dignatus est **).

Laurea ita coronatus doctorali, qua pauci digniores illo, innumeri vero indigniores, quin indignissimi hactenus extitere, vera profecto artis medicinalis prostibula, locum praxeos, vt aiunt, idoneum seligens, Heilbronnam venit, munere Professoris medici apud Tubingenses, post subitum *Maucharti* e vita decessum, illi oblato. Quod vero non accepit, quia vitam sedentariam et vmbraticam eruditorum, in academiis viuentium, ex ἰδιοσυνκρασία sanitati suae minus proficuam, cane et angue peius, finitis laboribus atque studiis academicis, sibi fugiendam existimarat.

Arrisit

*) Vollständ. Ausz. aus den besten chirurg. Dispüten. B. 4. S. 681. u. f.

**) Chirurg. Disput. Select. T. I. n. 15. p. 291. sq.



Arrisit illi, prae multis aliis, vrbs Heilbronnensis, in qua magnam puerilis atque iuuenilis aetatis partem vixerat, vel ideo, quod eo tempore, quo reliquit academiam, medicis quidem abundabat, bonis autem, iisdemque doctis, destituta esse videbatur. Habuit quidem vnum atque alterum, tanto nomine non indignum, sed plerique, praematura ciuibus erepti morte, solum reliquere verum medicum, *Io. Martin. Reichardt*, qui, diss. *de vtero grauidae cum foetu vulnerato*, Argentorati MDCCLIII. defensa, inter doctos medicos inclaruit. Reliqui vero tunc temporis medici Heilbronnenses, vel artis medicae plane rudes, vel ignorantiam, proiiciendo ampullas et sesquipedalia verba, celare tentantes, erant medici, nomine me quidem iudice, indignissimi. Iustam inde spem conceperat, fore, vt optima inter eiusmodi medicastros diligentiae academicae praemia vero contingere possint medico.

Nec spes fefellit. Maxima enim, et Heilbronnae antea minus obseruata in aegrorum cura gerenda *vigilantia*. methodi medendi, ab omnibus, quibus tunc scatere solebat vitiis, *repurgatio*, singularis et antea minus inter medicinae practicos Heilbronnenses obuius medicamentorum *selectus*, prudentia εὐποριστῶν atque remediorum domesticorum praescriptio, quae tantum leuaminis afferre solet genti pauperum, quibus saepissime a pretiosiori medicamento abstinendum est ob rem domi angustam curtamque

que ſuppellectilem, mira in diagnoſi atque prognoſi morborum *veritas, modeſtia* et *ſagacitas,* nec non ſumma, qua omnium in ſe figere poterat animos, *affabilitas, humanitas morumque venuſtas,* non potuerunt non illi, tum ciuibus, tum vicinarum regionum incolis atque accolis merita illius rite perſpicientibus maximam aegrorum fiduciam, amicitiam, beneuolentiam gratumque animum facili modo comparare, comparatámque ſeruare.

Tantae quidem animi dotes, ingenii documenta, reique publicae inde nata vtilitas, anno MDCCLVIII. phyſici tertii, et paucis annis poſt ſecundi ordinarii honorem, iubente ac volente Senatu Heilbronnenſi, reportarunt.

Anno aetatis ſuae viceſimo quarto thalami ſociam ſibi aſciuerat *Ioannam Reginam,* ex gente *Elvertiorum,* quorum vnus alterue medico addictus ordini diſſertationibus, quae methodum haemorrhoides ſanandi Kaempfianam illuſtrare poſſunt, alii vero ſcriptis minoribus ad materiam medicam pertinentibus ſuo tempore doctiori medicorum cateruae probe innotuere.

Vnica ex illo matrimonio nata proles eſt, filius nempe *Fridericus Auguſtus*, *memoriae* huius *paternae* auctor, quem filium annis MDCCLXIX. et MDCCLXX. ipſe artis medicae rudimenta docere inceperat, vſque dum praematura mors illum menſe Auguſto coniugi, filio, ciuibus, ami-

 cis,



cis, aegrisque, illius auxilio vti ſolitis eripiens, omni moleſtiae, curae atque calamitati, cui ſubiici ſolent medici in mundo hocce ſublunari, febri rheumatica praecedente, et illa ſoluta, febri ſoporoſa putrida, quae tunc epidemice Heilbronnae obſeruabatur, inſequente, ſubduxit, aetatis anno quadrageſimo tertio.

Quanti fecerint illum viri eruditi, quibus innoteſcendi non defuit occaſio, vel inter alia, breuitatis ergo tacenda, b. *Roedereri*, Prof. Goettingenſ. celeberrimi epiſtolae ad illum datae, quae adhuc a poſthumi opuſculi huius editore diligentiſſime aſſeruantur.

Neque principibus, aliisque illuſtrioris originis hominibus, incognita eius in artem medicam eximia merita fuere. Teſtatur id prae reliquis Marggrauius Durlacenſis Sereniſſ. qui anno MDCCLXV. ad munus poliatri aulici ſuſcipiendum illum vocare clementiſſime dignatus eſt. Munus id varias ob cauſas ab illo recuſatum, princeps, illo auctore atque ſuaſore, paulo poſt contulit cel. *Buch*, qui anno MDCCLIX. diſſertatione *de morbis perioſtei*, Praeſide *Kaltſchmied*, Ienae ventilata, inclaruit.

Magni quoque fecit illum Illuſtriſſima *Comes de Caſtell*, quae Riedenhuſae Franconum ſuum fixerat domicilium. Saepius ipſa vocari iuſſerat illum, medici auxilio indigens. Gratique eius animi documenta ſunt D, *Bernhold*, medici

Onol-

Onoldini, qui Medicina legali Teichmeyeriana tabulis expreſſa, et anno MDCCLX. Ienae in lucem edita innotuit, literae nomine Comitis ad illum exaratae.

Et haec quidem ad penitiorem viri tanti cognitionem acquirendam, gratamque memoriam ſtabiliendam heic loci ſufficiant.

OBSERVATIO I.

Pueri ſexennis, pro faſcinato habiti, ſectio practica, habita Tubingae menſe Octobri anni MDCCL.

Morbus.

Puer, ex parentis propinquorumque narratione, per integram vitam ſanus, alacer, floridae faciei, corporis minime macilenti, diris inuadebatur abdominis torminibus, quas ſequebantur vomitus aluique deiectiones inſolitae, virideſcentis coloris, et ſucco graminis quaſi tinctae, primis diebus nullum ſpargentes foetorem, vltimis autem grauiſſimum. Quinque ante obitum dies vomitus pergebant iugiter, alui deiectionibus plane ſuppreſſis. Toto ceterum morbi decurſu furentis partes agebat miſellus, continuo de capitis ventrisque doloribus acerbiſſimis conquerens, atque inſtar maniaci tandem animam reddens ſuam.



Sectio cadaueris.

Caput, leui tinea in parte capillata vexatum, abdomen ascíticorum instar turgidum, reliquus vero corporis habitus minime a natura recedebat.

Demto cranio, cerebri venae atro comparebant sanguine refertae; sinus falciformis, plane vacuus sanguine, vbi apertus fuerat, ostendebat polypum albidum, sex pollices aequantem longitudine, per totum eius tractum a crista galli vsque ad sinus durae matris laterales descendentem. Cerebri ventriculus anterior, isque sinister, exhibebat massam liquidam instar carnis loturae, duas drachmas pondere non superantem. Plexus eiusdem ventriculi choroideus albidus venam habebat sociam, recta per totum ventriculum extensam, atroque repletam sanguine. Dexter cerebri ventriculus anterior eandem liquidi quantitatem similique colore gaudentem sistebat, plexus vero illius choroideus pulchre rubelli coloris secundum naturam erat. Idem de reliqua cerebri totiusque cerebelli substantia dicendum est. Pectus ostendebat pulmones pulchre rosei coloris, nusquam accretos, optimae consistentiae. Pericardium solum aliquam praeternaturalis liquidi quantitatem continere visum est, dextrum vero cordis ventriculum repleuit polypus albicans, radicibus seu pedunculis suis ad ventriculi apicem atque latera plane accretus, in corpore vel media sui parte pollicis habens latitudinem, circa valuulas tricuspidales angustior,

in



in dextram exporrectus auriculam, ibique nouam quaſi polypoſam ſpargens expanſionem nusquam adhaerentem fluctuantemque liberrime: ſiniſter contra cordis ventriculus rerum praeter naturam ne hibum quidem oſtendit. Facta longitudinali abdominis inciſione, apertoque peritonaeo, flatus exiit foetidiſſimus, praeſentis putridae corruptionis excitans ſuſpicionem. Alterius dilatata inciſione comparuit ingens copia liquoris lutei graueolentis fecibusque remixti. Vnde ſtatim in opinionem ingreſſus ſum, ventriculusne an inteſtinorum hoc illudue diſruptum inueniri poſſit? Effuſo, quantum licuit, liquore hocce foetido, nullum amplius in conſpectum prodibat omenti veſtigium, a putredine ſcilicet in vniuerſum conſumti. Totus inteſtinorum tubus valde turgeſcens inſolitam oſtendebat tunicarum craſſitiem, ab inflammatione forſitan illum occupante ortam. Vlterius inteſtinorum diſquiſitioni operam impendens, illum deprehendi, ea, qua colo inſeritur, regione abruptum ſuaque reflexum extremitate verſus propriam flexionem ſiniſtram. Colon, vbi digitis attigi atque pauliſper compreſſi, inueni duriore quadam materie refertum, quam primo quidem tactu pro fecibus habebam induratis, ipſo verum inteſtino aperto longe aliam eſſe perſpexi. Erat nempe concrementum ſcirrhoſum incipiens firmiterque adhaerens valuulae coli Bauhinianae, ceterum in inteſtino libere fluctuans, nullo loco accretum, in extremitate ſua libera, qua pergebat ad hypo-



chondrium vſque laeuum, acuminatum. Superficies illius concrementi externa impreſſiones referebat annulares, ab inteſtino efformatas, et inter incidendum ob accretiones ſuas ſcirrhoſas, per totam ipſius ſubſtantiam diſperſas, diſſectoris cultro maximopere reſiſtebat. Color externus erat ſubfuſius, internus variegatus, luteus nempe, albidus, niger, ruberque. Ventriculus inciſus eructabat glomerem lumbricorum teretum, et liquorem, ei, quem in abdomine deprehenderam, ſimillimum. Hepar naturali modo conſtitutum, itemque lien, cyſtis fellea inſignem in modum turgida bile copioſa virideſcente fuerat repleta.

Epicriſis.

Ad dicti concrementi generationem quod attinet, vaſa rupta ſuſpicor, quippe quae poſt ablationem inteſtini ilei, foeta materie nutritionis, eructarunt forte illam ſucceſſiue, quae deinde ſolidam nacta conſiſtentiam prima concrementi iecit fundamenta. Quoniam autem eiusmodi materiae protruſio absque aliqua in vaſorum dilaceratorum oſtiolis adhaeſione fieri nequit, hic ſimul per accretionem nouis vaſis ponitur fundamentum, ex mente Boerhaauii aliorumque medicorum, et eodem ac priora officio fungentia vaſa haec idem praeſtabunt, ideoque primo augebunt vaſisque replebunt tale concrementum, quae deinde ipſa illud fouere amplius atque nutrire poterant ſemel formatum, quousque ob alias

licebit

licebit cauſſas. Ilei vero inteſtini ruptionem eiusque cauſſam vt quoque attingam, duplicem eam eſſe puto, quarum quamque lectoribus eligendam praebeo. Contigit nempe vitium iſtiusmodi, vel a lumbricis effractoribus, vel a ſero acriori tunicas inteſtini ad ruptionem vſque attenuante. Sed vtrumque ſimul in hocce miſero accidiſſe, quoque a vero non aberrat: magnam enim copiam vermium ventriculus adhuc oſtendebat, et humorem illum acriorem putridum prima ſtatim abdominis atque peritonaei monſtrabat inciſio. Succeſſiue igitur abradendo tunicas inteſtini, humor ille facile potuit efficere, vt vel lumbricus aliis deſtitutus alimentis, inteſtinum ipſum aggrediens, illud leui conatu perforare, vel idem ſponte ſub validiori corporis motu diſrumpi potuerit.

OBSERVATIO II.

Epilepſia ſimpliciori modo ſanata. Facta menſe Ianuario anni MDCCLIII.

Virgo, viginti circiter annos nata, a ſeptimo iam aetatis anno laborabat cephalaea cum epilepſia coniuncta, quacum illa continuo conflictabatur, eaque non niſi per vices reuertebatur. Quae, poſtquam ſatis longo temporis ſpatio multa incaſſum ſumſiſſet medicamenta, tandem ante trimeſtre me adiit, me conſultura. Malum egomet inueteratum eſſe atque per multa remedia peruerſe adhibita in peius conuerſum percipiens,



dubius haesi, vtrum aliquid tentare satius esset, an rem istam fato relinquere. Flagitanti tamen praescripsi varios successiue pulueres antispasmodicos atque cephalicos vnacum propriis vehiculis assumendos; sed frustra. Perstitit dolor fixus, vt antea in fronte, rodens atque tensiuus, aliquoties etiam prorumpebant ipsi motus epileptici. Duriori postea ratus malo duriorem, quod aiunt, opponendum esse cuneum, porrexi aliquot pulueres ex sulphure antimonii aurato, sic dictae tertiae praecipitationis, aethiope minerali atque puluere epileptico Mynsichti. Quo facto animaduertere licuit, dolorem, qui per septennium et vltra fixus in fronte, nec vnquam fere remittens, durauerat, aliquando per integram, quin immo duas cederet horas, atque verticem peteret, tandemque ipsi motus epileptici plane cessarent.

Additamentum.

Capitis memoratam passionem dolorificam duos adhuc menses integros experiebatur aegrota, ita, vt modo hanc, modo illam capitis partem peteret, modo capite, tanquam consueta sede, relicto, in medullam spinalem transiret, neruosque inde oriendos in consensum traheret, nihilominus motibus epilepticis nequaquam redeuntibus; at tempore fluxus menstrui exacerbationem induceret, tandem, accensa febricula, et remediorum congruorum vsu semper, prout res id postulare videbatur, intermisso, aut repetito,

tito, aut continuato, iſta cephalaea in aeternum dimiſerit aegram, atque ſanitate integerrima frui permiſerit.


OBSERVATIO III.

Roob ſambuci abuſus morbo mulctatus.
Eodem menſe annoque.

Ruſticus quidam ad me veniens, generum narrauit ſuum ab aliquo tempore male ſe habuiſſe, eaque de cauſſa a pharmacopoeo medicamentum purgans petiiſſe. Quo quidem aſſumto ſperato cum effectu, inſequente die huncce medicum ſui ipſius miſerabilem ad malum radicitus extirpandum hauſiſſe portionem Roob ſambuci ſpiritu vini diluti ad prouocandum ſudorem. Quo facto incidit in aeſtum febrilem tantamque virium proſtrationem, vt ſenſibus frui aut loqui ipſi integrum non eſſet.

Aeſtui temperando viribusque refocillandis praeſcripſi potionem omni trihorio cochleatim dupla ratione propinandam, ex nitro depurato, aqua rubi idaei, ceraſorum nigrorum, ſyrupo acetôſitatis citri, liquore anodyno minerali atque cornu cerui ſuccinato rite compoſitam.

Euentus vero dubius hactenus manſit; nunquam enim rediit ruſticus.



OBSERVATIO IV.

Vlcus vesicae vrinariae remediis internis curatum.

Eodem anno et mense.

Puella, annum agens vicesimum quartum, me adiit, secum portans vrinam, quae turbulenta magnopere ostendebat in fundo vasculi sedimentum plane peculiare. Inerant nempe verae tunicae abrasae, quales solent abradere laniones a pecorum intestinis. Vrina caeterum graueolentem spargebat odorem vel statim a mictione. Vlcus vel in ipsa vesica, vel vreteribus praesto esse nullus dubitaui. Sequentia ipsa puella retulit. Sustineo, inquit, summos quandoque dolores in regione hypogastrica, eo loco, vbi pilis illam obsitam esse in adultis notum est, nec desinunt prius, quam vrinam reddo, et post illam flatus ex vrethra prodeunt, mictio ipsa interdum plus minusue dolorifica est. Quae quidem omnia patior iam per sex annorum decursum. In principio mali huius per aliquot hebdomades decubui colica hysterica, vt putabat mecum medicus tunc sanitatis meae curam suscipiens. Vna cum vrina tandem excreui lumbricum teretem; quo facto doloris colici facta sum expers. Ab isto vero tempore malum supra dictum sustineo. Tristem in hacce puella lumbricos lusisse tragoediam, quin affirmem, non est,



eſt, quod obſtet. Quod quidem negotium ſequenti modo intelligi poſſe credo. Lumbricus in inteſtino ileo reſidens, terebrando pertudit inteſtinum ea parte, qua veſicae vrinariae incumbit, et poſt haec veſicam ipſam, talique modo in hanc delatus vna cum vrina fuit eiaculatus. Succeſſu temporis partes laeſae coaluerunt, in medio vero foramen, ex inteſtino in veſicam penetrans, forte reliquerunt, per quod iam flatus, immo et materia chyloſa et alia fluidiora per inteſtinum deuoluenda in veſicam transeunt.

Malum per ſe ſanatu difficillimum, inueteratum iamiam nullam admittere amplius curationem exiſtimabam. Lacrymis autem medelam efflagitantis puellae obtemperans ordinaui primo infuſum theiforme, cui ſic dictae ſpecies inerant radicis altheae, atque liquiritiae pars anatica, herbae hyperici cum floribus, nec non ſummitatem virgae aureae, atque herbae ſarriculae, manipuli integri pars dimidiata, ſeminis aniſi atque foeniculi ana drachmae duae. Nec non exhibui electuarium ex myrrha, maſtiche, rheo electo, puluere radicis tormentillae, terebinthina veneta, ouorum vitello inuoluta, balſamo Locatelli atque ſulphuris amygdalato, nec non conſerua roſarum officinali conflatum, cuius cochlearia minora duo quotidie bis aſſumenda curaui.

Per integrum menſem in vſu huius medicinae diligentiſſime perrexit, quo temporis interuallo



uallo praeterlapſo iterum me adiit, ab vſu illius haud parum ſe profeciſſe affirmans. Non amplius cum vrina exire flatus retulit, neque tunicas abraſas in vrina amplius videri poterant.

Dolorum in regione hypogaſtrica vehementiam valde infringi ſimul innuit, quapropter ſpem ſanitatis illi affulgere fidentius aſſerui.

Infuſum theiforme amplius ſorbere iubebam, ſed loco electuarii praeſcripſi Elixirium ſequens, per digeſtionem tridui paratum, bis de die guttarum quinquaginta numero infuſo theiformi admiſcendum, quod quidem compoſitum erat ex gummi guaiaci et balſami de Copaiua parte anatica vncia dimidia, terebinthinae optimae drachmis duabus, oleo ligni ſaſſafras ſcrupulo vno, ſpiritusque vini rectificatiſſimi vnciis tribus.

Qua medicina ex praeſcriptione rite vtens, paruo deinde interiecto temporis interuallo, cum ſanitate in gratiam rediit.

OBSERVATIO V.

Reditus catameniorum ſerotinus.

Mulier ſeptuagenaria morte nepotis ſui in ſummam coniecta triſtitiam, in horrorem febrilem incidit; quo finito, menſium fluxum percepit. Fluxerunt illi menſes per triduum et amplius cum virium exhauſtione. Remedium morbi efflagitanti propinaui mixturam, cuius partes conſtitutione fuere elixirium balſamicum temperans,

atque

atque vterinum Crellii, illius drachmae duae, huius drachma vnica, nec non aquae cinnamomi cydoniatae vncia vna, tincturae papaueris erratici vncia ſemis, ſpiritus nitri dulcis drachma vna cum ſyrupi berberis vncia vna et ſemiſſe. Ter de die cochlear dimidium ſorbendum curaui.

Sanitati reſtitutam eſſe, poſtea percepi ab aliis; ipſa enim non rediit.

OBSERVATIO VI.

Febris catarrhalis epidemica, quae hyeme anni MDCCLVI. et ab initio anni MDCCLVII. Heilbronnae ad Nicrum fuit obſeruata.

Notatu digniora febrisque huius indolem propius lectori ſiſtentia exhibeo, breuitatis ergo ea, quae in aliis febribus catarrhalibus obſeruantur, et hic quoque obuia fuerunt, ſilentio preſſurus.

Prima ſtatim huiusce febris exacerbatio a vulgaris febris catarrhalis acceſſione ea re diſcerni poterat, quod illi ſociam ſe praeſtaret immanis ventriculi pectorisque ſpaſtica conſtrictio, tantaque anxietas, vt ipſi aegri primo iam inſultu ſe letho iri traditum minime dubitarent. Subſultus tendinum inſequebantur tanti, vt transitum in veros motus conuulſiuos minari viderentur. Typus huiusce febris in variis varius deprehendebatur,



tur, modo quotidianae, modo tertianae duplicatae typum sistens. Tussis atque coryza fere in omni aegro morbum soluebant.

Spasmos hosce symptomaticos optime per enemata sublatum iri, statim in secundo, cuius curam gerebam, aegro expertus sum. Mitescebant nempe spasmi et magna flatuum copia, quos solos, tanquam illorum causam efficientem, incusare haud ambigo, protrudebatur. Optime quoque cessit vsus remediorum, quae digestiua nuncupantur, frigorisque euitatio, lenisque, nec medicamentis calefacientibus, nec fornacum nimio calore quasi extorta diaphoresis.

OBSERVATIO VII.

Epiplocele incarcerata.

Mense Decembri anni MDCCLVII.

Vetula sexagenaria quatriduo vexabatur magnis ventris torminibus vomituque fere continuo; quam ob causam hoc tempore elapso me in auxilium vocauit. Statim ab initio, non pauca remedia ex pharmacopoliis contra passionem hystericam vsitatiora sine euphoria se sumsisse confessa est. At ego, herniae incarceratae suspicionem animo fouens, debito modo feminam interrogaui, quae denique, tumorem in cruris dextri regione superiore iam per annum integrum, sed absque molestia, sensisse non ibat inficias.

Denu-

Denudato pede atque abdomine, epiploocele incarcerata in conſpectum prodibat (id quod ex tumoris figura veriſimili modo coniicere licuit) omnibus enteroceles incarceratae ſymptomatibus ſtipata.

Rem primo aliquot clyſteribus emollientibus aggreſſus ſum, ſed parum leuaminis aegram inde percipere vidi. Cochleatim quoque ſorbebat potionem laxatiuam, quae vero ſemper illico per vomitum reiecta fuit. Addidi loco affecto cataplaſmata emollientia; et haec quoque fruſtra dabantur. Enemata ex herbae nicotianae decocto parata tunc applicari curabam, vomitusque ſedandi cauſſa porrigebantur aegrae quouis bihorio guttae triginta eſſentiae Wedelii carminatiuae atque anodynae pari ratione inter ſe remixtae. Nec ſpem fefellit eiusmodi ratio medendi. Succeſſiue enim vltra quinquaginta ſedibus aluus liquata, ſumma cum euphoria, vomitiones cum dolore ſenſim ſenſimque remiſere. Sed herniae tumor nullam ſubitat mutationem, quamobrem minime de huius rei bono ſucceſſu gloriari audebam. Taxis ſeu repoſitio igitur tentata, ſed fruſtra. Quam ob cauſam vſus emollentium diligenter fuit repetitus.

Triduo res ſatis bene ſe habuit; quo temporis ſpatio impleto, redibant dolores, ſtercora per vomitum exibant, reliquaque herniarum ſymptomata mala in conſpectum veniebant iugiter, Enemata ex herba Nicotiana, nec non eſſentiae

modo



modo memoratae vſus et hic loci, irrita non erant.

Diebus aliquot elapſis, omnia iterum in meliorem partem abire, appetitus, ſomnusque redire, dolores quoque penitus aufugere videbantur. Sed inopinato rurſus de dolore atroci circa regionem herniae querebatur aegra, et inſpicienti mihi locum affectum comparuit macula gangraenoſa, thalerum imperialem magnitudine haud ſuperans. Applicari iuſſi decoctum officinale nigrum, et horarum viginti quatuor interuallo ſymptomata miteſcebant. Tertio inde die tumor ſponte ſua ruptus, viſenti mihi magnam omenti partem ſphacelo corruptam oſtendebat. Quam vinculo, ſecundum artis praecepta, rite comprehenſam ſcalpelli auxilio absque mora praecidi curaui. Vulnus itidem ex artis lege remediis digeſtiuis atque balſamicis, prouti res id exigebat, congruisque faſciis coopertum intra quatuordecim dierum ſpatium ita ſanatum fuit, vt aegra ne hilum quidem mali priſtini amplius ſe perpeti confiteatur.

OBSERVATIO VIII.

Aſthma lethale infantum, ſporadice graſſans anno MDCCLVIII.


Intra viginti quatuorque horas vtplurimum infantes miſellos trucidabat morbus hic, inter rariores omnino referendus, nec vlla fere medici arte,



...e, tum propter miram necandi celeritatem, ...m propter difficultatem, aegris absque noxa ...opinandi medicinam efficaciorem, vix ſanabi... In pueris, tertium, quartum, quintumue ...nnum agentibus, modo poſt variolas bene ſu... eratas, modo absque vlla ſecundae valetudinis laeſione praegreſſa, tum Heilbronnae, tum in regionibus circa vrbem illam ſitis, morbum hunc obſeruare licuit.

Totus morbi decurſus hic erat. Primo irruebat opiſthotonus, ſub quo caput vehementiſ...ime verſus poſteriorem corporis regionem diſtorquebatur. Reſpiratio ſimul fiebat ſumme anxia ſiue anhela; collum adeo intumeſcebat, vt externe huius tumoris indicia conſpicerentur manifeſta. Nec ſtatus huiusue mutatio contigit, ad mortem vſque, intra quatuor et viginti horarum ſpatium certiſſime ſubſequentem.

Veſicatoria, enemata, totaque remediorum antiſpaſmodicorum congeries, extractum Nicotianae, alias in tuſſi conuulſiua vſu celebratiſſimum, nec non relaxantia fortiſſima, inutiliter in huiusce generis morbo adhibita fuere. Nec ab emeticis vlla ſperari poterat conſolatio, quippe quae ob ſpaſticas conſtrictiones haud facile propinari poterant.



Breui vero tempore morbus hic plane dispa-ruit, omnino rarissime, vt opinor, a medicis obsuatu s.

OBSERVATIO VIIII.

Diplopia ex cranii depressione.

Obseruata anno MDCCLVIII.

Puella serua ante biennium a lapsu e scala vehementer laesa, rem parui pendens, statim surrexit, solita sua munia obitura. Sed biho-rio post lapsum vehementes in loco a lapsu per-cusso dolores sustinebat, quibus breuissimo tem-poris interuallo accesserunt vertigo atque diplo-pia. In lectum collocata, et a chirurgo medi-coque, quos illico arcessi iusserant amici, rite atque ex artis legibus examinata, ostendebat cranii depressione supra regionem anatomicis coronalem vocatam, a sutura, quae coronalis no-men exinde accepit. Trepani vsus, alioqui a celeberrimis chirurgiae scriptoribus hacce occa-sione laudatus, omittebatur ob defectum trepani, cuius chirurgus sese reum vocabat. Ideoque res tentata fuit fomentationibus, quales praescripse-re *Platnerus*, *Heisterus* atque *Schaarschmidius*, ille in institutionibus chirurgiae rationalis, hi ve-

re

ro in chirurgia maiori, atque tractatu de laesionibus capitis.

Contra medici atque chirurgi ſpem et opinionem intra hebdomades tres ita reſtituebatur aegra ſanitati, vt, non ſolum vertigo cum diplopia penitus illam dimiſerit, ſed et oneribus in vertice ferendis, vt apud noſtrates poſtulat conſuetudo mosque receptus, eſſet aptiſſima. Sed anno inſequente, eodem die, quo pridem ex lapſu fuerat laeſa, redeunte, ſimul eadem rediere ſymptomata, dolor nempe atrox cum vertigine viſuque duplicato. Eademque medendi ratio, quae primo inſultui fuerat oppoſita, et hic loci ſeſe praebuit efficaciſſimam, nec non ſaluberrimam.

Vlteriorem vero illius euentum experiri mihi haud licuit, puella nempe non amplius redeunte.

OBSERVATIO X.

Partus tergeminus ſingularis.
Qui contigit anno MDCCLIX.

Femina quaedam florentiſſima tertia iamiam vice puerperium ſuſtinuerat. Quarta vice paritura partum edidit tergeminum, qui ſequenti modo ſe reddidit memorabilem. Primus, qui



prodibat, partus, forma, magnitudine modoque ad lucem egrediendi partum fumme maturum, vitalem a medicinae forenfis auctoribus appellatum, omnimode aequabat. Secundus vero foetus ex vtero egrediens partum quinquemeftrem, tertius denique trimeftrem, forma et magnitudine fiftebat. Mortui ad lucem omnes tres erant protracti. Partu inftante, primo apparebat bulla eximiae magnitudinis; qua rupta, ftatim infequebantur fecundinae, bihorioque poft foetus primus in lucem prodibat, enormi fimul vteri haemorrhagia adiuncta.

Paruoque temporis fpatio interiecto, fecundus eadem ratione in lucem editus fuit. Tertius vero vna cum placenta, tunicis, amnio et chorio inclufus ex vtero prodiit. Viribus fracta puerpera debito modo per optima analeptica refocillata, fine vlla fanitatis iactura puerperii tempora transegit, et inde absque vlla incommoditate vitae muneribus, vt antea, fungi folebat.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

De vſu cicutae, facta anno MDCCLXIII.

Libellus ill. *Stoerkii*, breui tempore poſt latinam auctoris editionem in linguam vernaculam translatus, mihique breui temporis interuallo a medico mihi amiciſſimo laudatus, attentiorem omnino circa vſum veneni huius fecerat, praeſertim eam ob rem, quod ſtatim poſt edita ill. *Stoerkii* obſeruata, modo huc modo illuc et in ipſa vrbe Viennenſi varii viro ſuoque laudato medicamento aduerſarii naſcerentur. Ideoque primam, cicutae vires et in mea praxi obſeruandi, occaſionem haud praeterire, mecum propoſueram. Nec defuit optanti opportuna huius rei experimenta inſtituendi facultas, dum anno memorato aegri duo, cancro laborantes, auxilium expectare a me minime dubitarent.

Aeger vterque carcinoma ſiſtebat occultum.

Extractum cicutae, ad mentem medici Viennenſis probe ſolutae, et a plantis congeneribus rite diſcriminatae, tum internae in pilulis, tum externae forma emplaſtri, ad leges artis parati, vtrique dabam.

Septimanis aliquot elapſis in vtroque cancer occultus in apertum tranſiit, multumque puris



eructauit quotidie, quod vero nunquam vſu cicutae in pus bonum et laudabile, chirurgis ita dictum, transmutari poterat.

Vterque denique poſt diu continuatum cicutae vſum, absque vlla ſanationis ſpe, miſere periit.

Vires plantarum ſaepius ſolo, quo creſcunt, immutari, nemo eſt, qui neget, idque multis exemplis probare, ſuperuacaneum fortaſſis erit. A vero igitur minime aberrare credo, cicutae, noſtrates incolenti regiones, vires illas denegando, quas laudat in Vienneníi archiater ille celeberrimus.

OBSERVATIO XII.

Aliud vlcus veſicae vrinariae curatum.

Anno eodem.

Vir mediae aetatis in fine anni praecedentis ad me veniebat, medicum alium, cuius nomen hic ſilentio premere fas erit, ſummae negligentiae accuſans. Per tredecim hebdomades medicus ille curabat aegrum, veſicae vrinariae vlcere vexatum.

Sex octoue vnciae puris liquidiſſimi vna cum vrina quouis die excretae, miſerum tandem

dem, viribus fractum, summa correptum macie, in febrem abripiebant hecticam.[a]

Eo deductae res aegri erant, dum ad me veniret, auxilium petiturus.

Corticis peruuiani vsus, in tertiam septimanam protractus, vires restituebat, corpori robur aliquo modo reddebat, febremque penitus profligabat.

Sed adhuc continuabant dolores, omnem superantes descriptionem, puris excretio, vesicaeque durities vel tactu percipienda.

In vsu corticis pergebam, radicis parcirae brauae atque pilularum aethiopicarum Ludolfi vsum interponens, prouti res videbatur exigere.

Quo facto, intra quatuordecim dies, praeter meam aliorumque spem et opinionem, sanitati plenarie fuit restitutus.

OBSERVATIO XIII.

Odontalgia minus consueta venaesectione sublata.

Eiusdem anni mense Ianuario.

Laborabat aeger quidam dolorifica dentium affectione, decemque hebdomadum spatio frustra sensim sensimque adhibuerat consueta reme-



dia topica, nec non ſcarifationem, venaeſectionem in pede, veſicatoria, et medicamenta purgantia.

Malo, conſuetis remediis minime concedenti, minus conſuetum opponendum eſſe ratus, ramum venae cutaneae, in regione digiti annularis et auricularis decurrentem, et in aegro plethorico quippe facile conſpicuum, lanceola pertundere nullus dubitaui.

Qua vena ſecta, intra bihorium dolor omnis plane conquieuit.

OBSERVATIONVM
F. C. T. WEBERI
FINIS.



APPENDIX.





FRIDER. AVGVST. WEBER

M. D. ATQVE APVD HEILBRONNENSES AD NICRVM POLIATRI, F. C. TH. WEBER FILII

OBSERVATIONES ANATOMICAE RARIORES.


OBSERVATIO I.

De infundibulo cerebri et glandula pituitaria.

Facta anno MDCCLXX.

Corpus quoddam molliusculum in medio sellae sic dictae turcicae collocatum, ob analogiam cum instrumento notissimo intercedentem, infundibulum anatomicis audire, omnibus in propatulo est. Tegitur illud infundibulum sola pia matre, continetque, vt anatome nos docet, glandulam, quae ob mucum seu pituitam ibidem secernendam pituitaria vocatur.

Quam glandulam anno supra indicato in cadauere quodam masculino, aut defectu congenito,



nito, aut ſtatu morboſo minus cognito, examinatuque difficillimo id efficiente, penitus deeſſe vidi, nihilominus infundibulo praeſente; quo vero in caſu ſella turcica praeternaturali gaudebat magnitudine.

Inſerere mihi liceat hic loci ea, quae de infundibulo atque glandulae pituitariae ſtructura et vſu inueniuntur in *Adolphi Murray* obſeruationibus anatomicis, anno MDCCLXXII. Vpſaliae ſub Praeſidio Cel. *Siderén*, in cathedram prolatis.

Innotuere quidem peracta Goettingenſia, ſed ipſum auctorem dicentem audire, permultis haud erit ingratum, propterea quod eius ſcriptum, magno mihi pretio Goettingae anno MDCCLXXIII. emtum, in multis Germaniae noſtrae regionibus merito rarioribus annumerari meretur. „*Infundibulum*, inquit, *ſub calloſo corpore, pone commiſſuram anteriorem fornicisque crura anteriora originem capere, et denique inter eminentias mammillares neruosque opticos deorſum duci, res quidem eſt notiſſima: hi autem errant, qui illud recta ſub decurſu baſin caluariae petere affirmant. Antrorſum vergere obſeruationes inſtitutae, quae cum Perill.* HALLERO, *conſentiunt, manifeſtum reddunt. Ex duabus cerebri membranis componi ſcimus, media ſcilicet et intima, quarum priorem arachnoideam, poſteriorem piam matrem vocarunt. Arcte inter ſe cohaerent, at ſimul,*

ſimul, vt accuratiori examine didici, hic immittitur alia ſtipatior tela celluloſa; quo ſit, vt, ſi canalis prope glandulam transuerſim obſcindetur, lumen eius, fere vt in arteriis, apertum ſeſe repraeſentet.

Canalis craſſities variis in ſubiectis varia eſt. Modo enim pennam columbinam, modo duas tertias anſerinae partes aequat; immo etiam, et potiſſimum in eius ſuperiori parte, maiorem adhuc eum vidi. Experientia quoque me quaedam docuit, in infantibus, illisque, qui habitus ſunt laxioris, infundibulum eſſe grandius, ac in illis, quorum ſtructura ſtrictior eſt et robuſtior, verſus baſin caluariae coni in modum minuitur quidem: at veniens ad glandulam pituitariam dilatatur iterum, adeo, vt paulo vltra medium tenuiſſimum ſit.

Quod rubicundi vel cinereo-rubentis ſit coloris, vnus quisque facile cognoſcit; colorem vero hunc a ramulis quibusdam arteriae calloſae ſurculisque, quibus receptaculum adſpergitur, huc delatis, originem trahere, ſubtiliores confirmant iniectiones anatomicae.

Solidumne, an cauum ſit infundibulum, inter anatomicos diu quaeſitum fuit. Quod ad mea obſeruata, inuitus quidem praeuideo, multorum illuſtrium virorum ſententiis meam minus arriſuram. Quum vero in iis modo enarrandis acquieſcam,

quae



quae ſaepe et attente quidem obſeruaui, nec niſi verum ſectari, absque vllius auctorum partium ſtudio, mihi propoſuerim, non vereor, ne diſſenſu meo cuiusdam animus a me abducatur.

Quo autem minus in obſeruationibus fallerer, non tantum ſaepe illas repetii, ſed et ad has ipſas eiusmodi legi cadauera, quorum morbi ratio mihi innotuerat.

Bina igitur, apoplexia ſanguinea, et bina hydrope extincta cadauera huic examini dicaui; quum hoc adminiculo me conuinci poſſe crederem, an morboſa quaedam laxitas ſtructuram huius infundibuli variaret, vtrum vaſorum capitis diſtentio cauitatem illius redderet euidentiorem.

Ad ipſam vero primariam quaeſtionem, de eius nempe fabrica, facilius ſoluendam, varia etiam methodo diſſectiones ipſas inſtituere neceſſarium duxi; quare quoque cerebra gelu correpta, et talia, quorum vaſa latice colorato ceraque impleta erant, cultri aciei ſubmiſi.

Ex quibus omnibus clare patuit, infundibulum nec medullari quadam ſubſtantia, nec tela celluloſa oppletum, ſed ad limitem vſque glandulae pituitariae, cui annectitur, ſemper apertum eſſe.

Reticere tamen non debeo, me in vetulae, anaſarca hydrope demortuae, infundibulo, quum flatu eius viam perſequi ſatagerem, obſtaculum quod-

dam

dam contra aëris propulſum, et tutum ipſum, perſenſiſſe; vlteriore autem perquiſitione facile cauſam detexi, cum filamenta quaedam celluloſa, ab vno latere ad alterum protenſa, ipſam aperturam aliqua ratione oppilarent; id quod etiam celeberrimo TARINO *accidit, cum vas conſolidatum deſcriberet. Penes alios autem ſit dirimere, an noua haecce filamenta cellularia, ſicut aliis in locis enaſcuntur ſaepius, hic a laxitate quodam vniuerſali, quae in hydrope communis eſt, citiorem traxerint ortum.*

Infundibulum autem eſſe PERVIVM, *optime ex cerebris congelatis mihi videtur oſtendi poſſe. Hieme igitur anni* MDCCLXX. *duo capita gelu adſtringi curaui, vt ſtria glacialis cauitatem, ſi qua eſſet, manifeſtiorem redderet. Adeo etiam felix fuit euentus, vt a ventriculis lateralibus ad tertium, perque infundibulum ad glandulam vſque pituitariam, vna continua gleba glacialis fuerit perrecta.*

Ab eo tempore quoque infundibuli inferiorem limitem, hoc eſt, illum, qui attingit glandulam pituitariam, perquiſiui, et adeo fauſto ſucceſſu, vt in demonſtratione quadam adſtantibus canalem non tantum intra glandulae carnem in duos abeuntem ramos, verum etiam vnumquemque ſuum petere lobum oſtendere licuerit. Poſterior illo anteriore minor eſt. Aerem inflans, facillime illum ventriculos penetrare, eosdemque diſtendere percepi.

Ex



Ex his, quae iam attuli, quiuis facillimo negotio perſpicit, cauum eſſe infundibulum, ſeroſumque laticem per illum fluere. Quo autem liquorem demum ducat, non minor inter anatomicos fuit diſſenſus. Veteres quidem exiſtimarunt, halitum ventriculorum cerebri, quem pro excrementitio habuerunt, anterius per proceſſus mamillares in nares ferri, inferius vero per infundibulum in glandulam pituitariam, in proprio receſſu oſſis ſpheroidei deliteſcentem, indeque in palatum per poros inuiſibiles deiici. Adcreſcente vero ſtudio anatomico, illorum opinio de via ad palatum ducente mox exoleſcere coepit, vt non niſi ductum ad nares per ventriculos anteriores inuenire autumarent; quem vero inde nonnulli, praeprimis SCHNEIDERVS, in magno illo de catarrhis opere, etiam praecluſum eſſe oſtenderunt, WILLISIVS, qui SCHNEIDERI amplectitur ſententiam, liquidum ventriculorum per infundibulum tantum in glandulam pituitariam, quae etiam ad eius mentem, liquoris aliquid ſecerneret, transferri credit; ab hac vero glandula liquidum vtrumque, inter ſe mixtum, per venas revehentes retis mirabilis, totam cerebri baſin obuelantis, aut per proprios duobus hariolatus eſt duci. Longe alium autem vſum ipſi tribuit. ISBR. DIESNERBROEK, qui glandulam pituitariam, vt verum organon ſecretorium, aſſumit, et cum nullum habeat ductum excretorium, a ſanguine retis mirabilis ſeparari opinatur pituitam, quae per infundibulum in ventriculum tertium, inde in laterales,

coarctata solito minoris diametri, nequaquam vero inflammata, tertia cum intestina recto secundum naturam conformata. Mesenterii glandulae partim scirrho induratae, partim sanissimae. Lien, magnitudine, consistentia, et colore, perfecte sanus. Ren vterque debito maior, sanus itentidem vna cum renibus, quos dicunt succenturiatos. Vesica vrinaria sana. Vasa mesaraica sanguine turgida.

Caput externe nullam ostendit sugillationem, sanguinisue in venis iugularibus accumulationem, aut haemorrhagiae vel ex naribus, vel auribus, vel ex ore contingentis vestigia. Ideoque dissecari non iussi. Caussas enim mortis sufficientes iamiam detectae, nullaque laesionis internae capitis aderat suspicio.

Vtriusque lateris integumenta stasin sanguineam ostendebant, id quod etiam in bracchiorum superficie cutanea, versus interiorem illorum regionem vergente, fuit valde conspicuum.

Tentamen epicriseos.

Peripneumonia maligna iugulatum fuisse hunc aegrum, et forsitan ex retardato vel impedito sanguinis libero circuitu adeo derepente fuisse suffocatum, descripta sectio cadaueris



ris docere mihi videtur. Apoplecticum esse mortuum, a vero haud abesset, si congestionis sanguineae versus caput adfuissent vestigia. Gangraena, qua corporis suae partes variae necatae fuerunt, ob celerrimum progressum forsitan ad neruosam gangraenae speciem vero similius erit referenda.

OBSERVATIONVM ANATOMICARVM RARIORVM

FINIS.

